



21790


III Mac. St. Dr. P

...us de
Grodzieski Nicolai Viva mors seu
morti superstes virtus et gloria.

PANEG. et VITAE

Polon. Fol.

N. 1749.



VIVA MORS

SEV

Morti Superstes

VIRTUS & GLORIA

ILLVSTRISSIMI

GEORGII DVCIS à ZBARAZ

Cracouiensis Castellani, Pinsceñ. Socalieñ. Zarnoueceñ. Vislicieñ. &c. &c.

CAPITANEI.

Sub tempus Exequiarum eius scripta.

ET

Illustrissimis ac Reuerendissimis Ordinibus Regni Poloniae D. D. D.

A


NICOLAO de Grodno GRODZENSKI

P. T.

CRACOVIA,

Typis Matthię Andreouieñ. Anno MDC. XXXI.

In gentilitium Illustriss. de Zbaraz Ducum
insigne.



*Quid super arquato CRVCIS hoc curuamine SIGNVM?
CYNTHIA quid versis CORNIBVS ista notat?
Exanimum CORPVS telluris IN IMAREmigrat,
Sed CRUX ZBARAVIVM tollit in ASTRA DVCEM.*

BIBLIOTH. UNIV.



WAGELLONIAE

21.790 III



Reipub: Polonæ, & Mundo Nepoti
optimorum Ciuium memoriam.



Cio LEGES GRATITVDI-
NIS & BENEFICII, quo me
obstrinxit, qui vixit dum in fune-
re Parentis mei dixit: Repēdo & breuibus.
Ipsa enim proprium est OS sibi VIRTVS
tanti Viri. Quæ licet cæteri taceant, æternū
LOQVETVR. Cuius Reipublicæ opto
MEMINISSE. Non aliud enim AR-
CHIVVM digniùs tātā DIGNITATE,
quam LIBERÆ REIP. MEMORIA.
Pluribus cōmendant alij, me tot ROSCIIS
præsentibus gestum facere PRIMA SVA-

A ij

da ve-

EPIST: DEDICAT.

DA vetat, PRIMVM Que glaciem Ty-
pographicam frangens, DIXISSE. Et
semper malueram, haectenus audire AV-
DITOR, quam ORATOR. Tu parces
si non POTVI, quantum VOLVI,
subscribesq; si libuerit, & VOLVISSE
SATEST. VIVE, VALE, VIGE,
& FLORE. Ac SENECAE memen-
to dicentis quod dum

CVRÆ LEVES LOQVVNTVR,
INGENTES STVPENT.

ANXVS MORTIS.

SIDere ConfVrglt qVanDo noVaLVna blCornl
ACCel, erantrapercheV PrlnCeps te fata Georgl.

Ordines Regni

ILLVSTRISSIMI & RNDISSIMI.



Aioris & altioris quouis Stylo VIRI scribendam
FAMAM POSTHVAM, & in PARVA tabella
GRANDEM ORBEM magni MICROCOSMI de-
pingendum suscepi: Cui in COMMVNI potius
LACHRIMA & REIPVB. SVSPIRIIS, vmbra
atramenti quavis potioribus, quærenda fuerat LVX; qua DVX
& PRINCEPS SENATVS æternitati æternum VICTVRVS
consecraretur. Nisi forsan facundum in FVNERE officium,
me, inter cæteros, de eo loqui, & scribere iubeat, qui (quod
paucis præstitit) me sibi, in parentis mei iustis, postrema ora-
tione habita deuinxit: & FVNERALEM iure quodam reci-
proci affectus visus est voluisse ORATOREM è filio quem
egerat crepto viuis Patri. Sed quis ego Hercules aut Atlas,
qui tam grande Poli Arctici. Sidus, paruis humeris ingenij
sustineam? Tu ipsa pullata & atrata Polonia dolores si potes
explica. Si tamen & tibi fari liceat AVGVSTISSIMA & SERE-
NISSIMA REGINA, & PASTORE ILLVSTRISS. & PRINCIPE
TVI AMANTISSIMO, ne dicam PATRE, viduatæ & orbatae
Nam, nunc nunc, inquam, verè tempus illud est, in quo non
solum plebi. Sed vel inuito Ennio, LICEAT HONESTE ru-
pto iugalis thori vinculo REGIBVS LACHRIMARI. Cur igi-
tur MEMBRA non concutiat, qui CAPVT vexat dolor; Com-
mune id & recens vulnus & medela, si quam consolator,
quem proprij vincunt singultus, quæro afflictæ tibi REIP:
Matri, nō tam tollit & curat doloris CAVSAM, quā renouat &
exasperat EFFECTVM. Ingemiscit illa, abesse euulsa VISCE-
RA REGNI; & à se, & subito, & tumultuario mortis impetu,
diuulsa

diuulsa suspirat. Nisi forsitan, aduocato in affectus rationis officio, seipsam licet iuste dolentem increpet, dicatque sibi cum Telamone ingemiscenti, de amissa Matre & geminis Ciuibus illud: SCIEBAM ME MORTALES MIHI GENVISSE. Immortales genuisti Polonia, & immortalitati raptos ex mortalitatis theatro intulisti, dedicasti. Et cæterorum quidem immortalitatem non inuoluet silentio, & obliuioni, succedaneus scribentium labor & conatus: Mihi præ manibus, & mente, GEORGIVS ILLE est, TVVS & NOSTER, qui importunarum Monitricum Parcarum nutu euocatus & raptus à tuis consiliis, vnà & te & nos reliquit, desiderii sui impotentes & impatientes. Quem enim victurum dubiis tēporibus & importunis sedandis putauimus, nihil ex eo nisi triste funeral & cadauer tenemus. Tristem CORONIDEM & EPILOGVM ZBARAZIORVM FAMILIÆ, cum quâ VLTIMO IN GEORGII NOMINE & NOMEN & HÆREDEM ZBARAZIUM videtur nobis, & nostris Nepotibus, Mors inuidisse. Ast non lugendus ille nobis, quod à nobis recesserit, sed quod talem illique ex eius Stemmate similem, videre desiderimus. Cuius & OPE & OPIBUS, quo & LVGENTE & DVCENTE potuisset, hÆC LIBERA NOSTRA RESPVBLICA gloriæ suspiratæ cernere non dubia incrementa. Verumtamen mutauit ille societatem non reliquit. Etenim vt cum Oratorum Phænice loquar: *Omnibus qui Patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in calo ac definitum locum, ubi beati æuo sempiterno fruantur.* Et qui abesse videtur, præfens est, nisi forte ingrata SUPERSTES MEMORIA, eius in Patriam beneuolentiæ, tam cito potuerit, poteritque esse oblita. VIVIT enim ille ET ITA VIVIT, vt Connubio cum immortalitate inito simul & nostris in animis videatur æternitatem inchoasse. Pignora enim

ra enim habemus ab eo interposita REIPVB: duo AFFECTVM
& EFFECTVM. Medulla cogitationum illius, PATRIÆ SA-
LVS, LIBERTAS, SPES PVBLICA, BONVM omnibus CŌMVNE,
multa meditata scripta plura, dicta plurima quæ Reipubl.
prodesse, consilio, opibus, ope prouisum vbi opus erat,
Periculis caput propositum. Hic agi, causane FORTVNÆ no-
stræ an FATI, VOBIS ORDINES ILLVSTRIS. DIRIBITORIBVS &
IUDICIBVS potest: cur eum in medio, magnificarum & illu-
strium cogitationum cursu abreptum e medio nostri sustule-
re? non quod abundè non profuerit, sed quod ita vti volue-
rat prodesse non potuerit. Multa enim quæ ILLO DIGNO CO-
RONA CIVICA IN CAPITE, latuerant SOTIRIÆ DE REPVB.
MEDITATIONES patuissent. Nec incusanda FORTVNA aut
VIS FATI & NECESSITAS, ea enim lege cuncta NASCVN-
TVR VT MORIANTVR, ea conditione nobis cuncta OPTIMA
DANTVR, VT SPIRARE QVOD LV BET NON LICEAT NEC
LIBEAT, sed ne desiderio sit otium ex oculis auribus, Sensi-
bus nostris elabantur & eripiantur. Illud, illud, speretur su-
spireturq; è Benignissimis Principis Serenissimi SIGISMVN-
DI III. manibus contumatiæ mœroris cōmunis collyrium
PAR tanto subsellio tanti Ciuis virtutis & consilii hæres &
SVCCESOR: qui audiat PVBLICVS publicæ CALAMITA-
TIS, (si quam serus hesper vehat) ÆSCVLAPIVS aut HIPPO-
CRATES. Alioqui vacuus tam illustri prudentia TANTI SE-
NATORIS LOCVS VILESCIT in turba & apud viros bo-
nos INDIGNIOR fiet ipsa DIGNITAS, dumq; debuerunt esse
ORNAMENTA, indignitate ambientium fuerint COMMACV-
LATA, plusque sentiemus quod habuimus, si postquam ha-
bere id quod VOTIS & desideriis nostris RESPONDIT desii-
mus habere qui e viuis crepto coæquetur non poterimus.
Dabitur

Dabitur ea SPEI nostræ VICTIMA, si VIRI & homines, non
è PLVTONIS & DEÆ PECVNIE ARCHIVO, sed è IOVIS CE-
REBRO ad REIPVB. munia administranda deligantur & de-
stinentur. Ita Vovi & SCRIPSI, & mecum omnes qui
QVANTVM INTERSIT BONO PVBLICO IN PRINCIPIS PRIN-
CIPE SENATVS SENTENTIA prolixius quam ego oratione
explicare possum, intelligunt. Verumtamen tu LANVSSI WI-
SNIOWIECI, KORYBTORVM GENVS, REGVM POLONIE
PRONEPOS, ILLVSTRISSIMORVM DVCVM IN ZBARAZ
NEPOS tu inquam mederi poteris huic vulnere, si nobis in te
etsi non GEMINVM AVVNCVLVM, at certe VNICVM GEOR-
GIVM dederis, rediuivum. Habes qui eâ expectatione tene-
antur. Et qui vt tam GRANDES SPES IMPLEAS, desiderant
præsertim ij qui viros in Republica magnos, & Ciuium opti-
mos, NON è VERBIS & FRONTE, sed ex AMORE IN PATRI-
AM, qua se fert occasio fuso, probare & metiri didicerunt.
Sed non opus est CALAMO IN CALCAR APTATO ei cuius ani-
mus REGIIS IGNIBVS VIVIT immortalitati meditandæ &
agendæ succensus. Scit enim illa quo te gradu constituerit.
Eodem te STETISSE NEPOS memento, quo AVVNCVLVS
DECIDIT. Illius ACTIONUM publicarum finis, tuarum initium
est. Et quæ ILLI CESSAVIT & feriari iussus est TIBI INCI-
PIENDVM. Non erit otiosus locus, si cogitationem in PATRIAM
intenderis, & AVVNCVLI grandes susceperis MEDITATIO-
NES, si humeros tollendo ponderi non subtraxeris. Si OCCA-
SIONIS qua illa vocauerit FRONTEM CAPILLATAM, forti &
parato animo præhenderis. Dabitur RHODVS, SALTVS,
CAMPVS, consilia priuata publicaque, dubia pacis bellicæ
tempora: & vel inuitam EXERCITANTES POLONIAM
VNÆ EX ALIIS CATENATÆ PERTVRBATIONES. In his
CIVE,

CIVE, VIRO, ANIMO, CONSILIO, VIRTUTE, OPVS. Vltro
 SEQUENTVR HONORES, & VMBRA VIRTVTIS GLORIA &
 DIGNITAS. Inuitabunt prima subsellia si aliquid maius Her-
 cule ausus, illud NON DATVR VLTRA in mente tua in PLVS
 VLTRA cōmutaueris. Facilius calcantur intra eundem san-
 guinem VESTIGIA & promptius ea RELEGERE POTES,
 quam ALII MIRARI. DVX & ADSTES tibi DVCI erit VIRTVS,
 COMES, FORTVNA. Iteringredere, & TE Macte animo, VI-
 CTIMAM PATRIÆ, NECESSITATIBVS ÆTERNVM MACTA.
 Ast fabricat fauix Heroicarum Stirpium Lucina Orbi Sar-
 matix magnas Spes, NOVA IN MATRE DE WISNIOWIEG
 HELENA PERILLVSTRIS AC GÉNEROSI DOMINI STA-
 NISLAI WARSZYCKI NVPTA, Illustrissimorum Ducum
 de Zbaraz nepte, KORYBTORVM PRINCIPVM ab-
 nepte, & fureulo: qui vti non dubito, dabit nascituris
 in nepotibus Poloniae suae rediuuos Ausos. Hæc ego bre-
 uiter. Et claudio. Vrget enim calamum breuitas, quam
 amo qui non implendæ Chartæ gratia, sed AMORIS ERGA
 raptum PRINCIPEM scripsi, qui breuiloquus, si verus est,
 esse solet: pluraque meditanda quam audienda aut legen-
 da animis lectorum auditorumque relinquit. Restant e tanto
 illo DVCE LIPSANA, & OPVS e FVNEBRI MARMORE luctui
 consecratum COMMVNE duorum magnorum in hac Repub.
 CIVIVM & FRATRVM PARENTAL & CLAVSTRVM. Sole-
 bat ille qui condidit, sæpius surgentem molem visitans, illis
 verbis affari: O INGRATVM OPVS: INGRATVM certè IN-
 GRATVM inquam OPVS. Tu enim illud MAXIME GEORGI e
 TENEBRIS grandis matris telluris IN LVCEM TRACTVM
 & erutū magnis sumptibus celo & malleis in Symmetriam
 Corinthiacam Entheatum, Artificis genio & ingenio viuifi-
 catum,

catum, spectandum, & laudandum, NEPOTI SECVLO reli-
quisti: illud TE te inquam LVCE DIGNIOREM MATHVZALEA
aut si qua fides est fabulis NESTOREA. Illud OPVS OPVS IN-
GRATISSIMVM, nec TE solum sed & FRATREM TVVM no-
stris ex oculis raptos. CONDIT, RECONDIT, ABSCONDIT.
vmbra sua ipsius, quam frontibus præfert, nigriore. Fælix
tanto eoq̃ GEMINO PIGNORE eam solam si excipias con-
ditionem, quod nullam præterquã in OCVLIS nostris, PRO-
DROMIS INTELLECTVS & VIVACIS MEMORIÆ NVNTIIS
possit AVTORI & PARENTI vt ita dicam suo, donare VITAM.
Addam & ego. Etsi adhuc TACEANT ATRATI LAPIDES, me
non tacente hæ immortales, quia PRIMÆ SCRIPTORI SVB
PRÆLO SVDATE CHARTÆ loquantur.

Tempori, Æuo, Æternitati, Posteritati.

Magnos Voto, Maiores Spe, Maximos Re.

NEC NON

OPTIMOS

Et Fratres, & Reipublicæ Liberæ Ciues.

GEORGIVM & CHRISTOPHORVM

IN ZBARAZ DVCES.

Fuisse scis:

Et scito

Homines, quod humanum erat, hic deposuisse.

Hos fortuna, Virtus, Æternitas.

IMMORTALES

FECIT, FACIT, FACIET.

Fælix Mater, & paucis matribus secunda, ac matri
forſan nulli penultima.

NOVA

NOVA SARMATIAE CORNELIA.

Quæ talibus filiis auxit Poloniam & ornavit.
Acerba Mors docuit Sarmatiam inuentum thesau-
rum æstimari dum amittitur.

Quæ si grata est, DEVM precetur, vt

OPTIMIS CIVIBVS DIV ESSE LICEAT.

VIVE HOSPES, & VALE SOSPES.

Et discce

QVOD NON VIVERE VITA NOSTRA

EST, SED OPTIME DEO. LEGI, RE-

GI, PATRIÆ, VIVERE

&

BENE VALERE.

EPIGRAMMA

In Stemma Principis tribus Funeribus
Regni commune.

Occidit ANTISTES, moritur REGINA, DVCEM^q

ZBARAVIVM subito MORS inimica necat.

PRÆSVLEIS sic non CRVCIBVS MORS horrida parcit,

Arietat J geminis CORNIBVS illa DVCES.

Quam subito incons tans facta est CONSTANTIA: quippe

Hoc docet INCONSTANS, J leue LVNA inbar.

Epitaphium tribus commune.

Tribus victimis Illustriss. Hostiis Ampliss.

TRINÆ VNITATI.

Vno in anno, vna ætate, vno propè mense
raptis nimirum:

SERENISS. REGINA, PRINCIPE SENA-
TVS, PRÆSVLE litauimus.

Sæuijt in duos constantes Viros mors, nec
mirum, sæuijt enim & in ipsam
CONSTANTIAM OPTIMAM PATRIÆ
MATREM.

Sed abortum passa, & vitam quibus rapere
voluit, non valuit, sed dedit nam:
VIVIT POST FVNERA VIRTVS.



